

probatisimmas impertiant», ad disciplinam theologicam Pontifex transit. Quam ad collendam altius, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, « omnino oportet, veteri more, qui nunquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habentur scholae: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum Sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non doctrinæ suae opibus interfuerit».

Hinc Pontifici occasio fit memorandi singularia paeconia quae de Aquinate ediderunt præsertim Ioannes XXII, S. Pius V, Benedictus XIV; denique hisce verbis gravissimis litterae concluduntur: « Itaque ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est, ac tollatur iam illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur ob eamque rem mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur, non sine magno scientiae christianaem detrimento (1), Nos volumus, iubemus, præcipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomae tamquam paelectionum suarum textum habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illum auditores optime afficiantur... Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi acade-

micos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis præscriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates*, Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra domesticos fines, eaedem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic præscriptioni Nostræ religiose non obtemperarint».

S. Congregatio Rituum.

De diebus ad nonnulla festa recolenda constitutis.

Ad maiorem uniformitatem obtinendam, non obstante decreto S. R. C. diei 28 mensis Octobris MCMXIII, nisi aliter a Sacra eadem Congregatione provideatur, festum S. Familiae celebretur die 19 Ianuarii; festum SS. Redemptoris, 15 Iulii; et festa B. M. V. de Purissimo Corde, Sabbato post Octavam SS. Corporis Christi — de Perpetuo Succursu die 27 Junii — de Gaudiis die 27 Augusti — de Consolatione, Sabbato post festum S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. — de Maternitate d. 11 Octobris et de Puritate d. 16 eiusdem mens. Octobris. (Ex deer. diei XXVIII mensis Aprilis MCMXIV).

De sacra synaxi Sabbato sancto fidelibus distribuenda.

Iuxta praxim et decreta (præsertim deer. n. 2561 *Tiernaten*. d. 22 mens. Martii 1806) licet in Sabbato sancto inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa.

(Ex deer. diei XXVIII mensis Aprilis MCMXIV).

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:

VITUS

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (*Via Umbria*, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

IN HONOREM ROGERII BACONIS

Rogerius Bacon, qui *Doctoris mirabilis* cognomen meruit, Ilchester, in Somerset Anglica provincia natus est anno p. C. n. MCCXIV. Oxonii primum atque deinde in athenaeo Parisiensi, ubi theologiae doctrinae laurea insignitus est, studiis vacavit, post quae in Angliam rediit atque Francisci Asisiensis Fratrum Minorum regulam est amplexatus. In solitudinem sic digressus, scientiae illi magis magisque sibi acquirendae totus incubuit, ad quam naturali spiritu tractus iam a teneris unguiculis videbatur: dicitur enim vel a pueris exce- dens, latinam, graecam, hebraicam arabicamque linguam optime calluisse.

Atqui reapse sapientiae omnis partes per eum provectae sunt. Grammaticen ac philologiam ad sacrarum rerum studium expediendum ipse vocavit; matthesim necessarium instrumentum edixit ad ceteras disciplinas adeundas; ac re confirmavit, quando, inter alia, Iuliani kalendarii reformationem primus proposuit, quae, Copernico etiam sollicitante, a Gregorio PP. XIII post saecula tandem inducta est. Quum autem diutinos in libris labores exercuisset cognitionesque

suas etiam tum indigentiae plenas sentiret, intimius naturae secreta penetrandi cupidus, praetermisso — ut ipse ait — Aristotele, in rerum comprehensionem intendit propriis experimentis usus. Proculdubio rerum illa aetate condicio erat, ut errores vitare impossibile foret: in eosque et noster incidit, qui alchimiam quoque impense coluit. Quamquam satis rationabiliter, neque superstitione nimia, ut mos tum erat, apprime invasus; lapidis enim illius philosophalis inquisitio, ei fuit praecipue investigatio, qua ratione metallum quoddam per ignem edolaret, ad instar naturalis actionis in fodinis. Nihilo minus peritiam eius magices arguerunt, cuius poenas effugere non valuit, nisi quum Clemens PP. IV, Baconis sapientiae rectus aestimator, in Petri solio sedit.

Pontifice vita functo, annorum gravis iniuriisque exagitatus, anno MCCXCIV Oxonii obiit Rogerius, cui Sodales et Anglii cives hisce diebus debitos, quamquam tardos honores sollemniter tribuerunt, qui in hisce paginis relati sunt.

(1) Cfr. Leonis XIII Epist. *Qui te dat*. die XIX mens. Iunii MDCCCLXXXVI.

Commemoratio Rogeri Baconis Oxonii habita.

Adventante hoc anno, qui DCC est a quo Rogerus Bacon susceptus ac editus est in lucem, quidam viri in Angliae athenaeis omni doctrinarum laude florentes consilium inierunt, qua praecipue via ac ratione eius memoriam recollectent. Duos ad res animum adiecerunt: statuam ex marmore in athenaeo Oxoniensi Rogero statuere, et eius operum omnium novam eamque integrum parare editionem. Nobile profecto atque eximium utrumque propositum, tanti viri corporis nempe ac mentis effigiem ob oculos omnibus ponere. Sed de editione operum illud unum hoc loco dicendum, ipsam iam incoptam esse, in eamque non solum ex Anglia, sed ex omni Europa conspirare viros studiis et doctrina claros: inter quos plures etiam ex Ordine Fratrum Minorum: quorum viorum nomina longum est heic recensere. Illud non omittendum, in paeclaro hoc coetu versari insignem historicum Anglicum Franciscum Aidanum Cardinalem Gasquet; qui, quum alias, tum etiam hac occasione egregie de Rogerio disseruit in aeroasi inscripta *De Rogerio Bacone et vulgata Editione latina*.

Sed ut ad Commemorationem ipsam veniam, habitam Oxonii a. d. IV Id. Iunias; ad eam viri docti doctorumque coetuum legati frequentes convenerunt, inter quos loco et fama spectabilis apparuit Ordinis Fratrum Minorum legatus v. revmus. David Fleming.

Egregia praemissa oratione a v. cl. Archibaldo Geikie equite, curatorum Baconi honoris habendi praeside, de velatur ab eo Baconis simulacrum, artis phidiaceae peritum opus, quod Rogeri vultum vivum atque hilarem pario ex

marmore refert. Stat plena forma ante pluteum philosophus, astrolabon prae manibus tenens atque intenta acie propiciens in futura. Laudes « Doctoris Mirabilis » referens praefatus eques, ipsum unum ex viris prorsus paeclarissimis edixit, qui in istis academicis aulis studiis unquam dederint operam. Omnis, inquit, sui temporis doctrinae erat magister, quam unam et universam complexus totam humano generi in virtute ac religione provehendo destinavit. Ad res non ad verba incubuit Rogerus, sique ad potissima nostri aevi inventa viam paravit. In veritate indaganda inductionis quae dicitur *methodo* adhibita, nil quod humanae cognitioni esset per vium probatum admisit; nisi quod esset experiendo etiam exploratum. Qua in re illustrissimo cognomini suo Francisco paelusit (1).

Haec v. cl. A. Geikie, qui, finem doctissimae orationi imponens, curatorum supra dictorum nomine athenaei Cancellarium rogat ut Rogeri statuam quam v. cl. Hope Pinker effinxerat, pro athenaeo dono accipiat.

Libenter annuit Cancellarius, vir prae nobilis Comes de Kedleston, qui in oratione rebus et verbis gravissima: Tarde, inquit, defertur Baconi honos; serum est pro meritis paeium viro inter homines prorsus illustrissimos iure reconsendo, qui ex Oxonio unquam prodissent. Immane fuit huic homini ingenium, qui docte de omni fere scientiae genere disputavit — de theologia et de medicina, de philologia et de numerorum scientia, de geographia et astronomia, de herbarum doctrina, de physica, de optice, de chemica et alchemica, de omni

(1) Francisco Baconi a Verulamio, Angliae Cancellario et philosopho (MDLXIMDCXXVI) *methodologiae* qui habetur institutor.

tandem philosophia experimentalis, moralis, politica. Experimentalis autem philosophiae auctor et parens iure agnoscitur. Nemo illo intimius noverat quemadmodum scientiae omnes amice coniurent et altera alterius opem poscat. Sin clare praemonstravit, certe praesagivit quam plurima hodiernae humanitatis inventa, naves et currus vaporis vi posse agi; res dissitas posse ope telescopii attingi et minutissimas speculorum ope accurate explorari; tormenta bellica pulvere nitrato onerari posse, et naves tam per aera quam sub mari circumferri. Quae quidem Rogerum non parum suspectum effecerunt suaे hominibus aetatis. Nec sane mirum: illud mirandum inveniri quacumque aetate hominem qui tot ac tantas complectatur disciplinas quot et quantas Rogerus; sed id fieri ab homine orto atque alto in media illa quae dicitur aetate res est hercule inter historiae quasi miracula computanda.

Hucusque Cancellarius. Dein legatus Ordinis Minorum (David Fleming) et athenaei Cantabrigiensis legatus (Professor Ward) alloquutiones rite consignant suas quas ante litteris mandaverant. Quorum ille inter alia haec paeclare dixit: « Vix supplet historia exemplum quod intimius tangit animum quam grandis illa Baconis in Dei voluntatem concessio, quum spe delusus ac profligatus, proterva inter adiuncta, pietatem profundam et sinceram rarae constantiae exemplo prosequitur. Menti ipsius quasi ob oculos obversabatur nexus ille et series quae omnes intercedit inter humanas disciplinas, quae se inferunt mutuo seque invicem supponunt, a doctrina quae empirica dicitur ad metaphysicam atque theologiam. Minus tamen clare perspexit obiectae visionis consequutionem in plura fore saecula deferendam. Ad quam adhuc tendimus et nondum est finis; sed tamen, si quid arbitror,

curso celeriore atque ampliore ac veriore quam multi opinantur sensu ad Baconianae visionis consequutionem tendimus ».

Dein Aluredi D. Godley, Academiae oratori publico fit locus: cuius latinam orationem luminibus splendentem inferiorius inserendam curavimus. Qui quum perorasset, legati et hospites convivio excipiuntur a Collegii Mertonensis rectore et sociis, eo nempe in collegio, quod Baconianae gloriae non uno nomine est particeps.

Inter convivandum autem plures habitae sunt orationes in quibus Rogerus summis iterum laudibus effertur. In proportione « in honorem Rogeri Bacon » aptissime dixerunt F. Madan bibliothecae Bodleiana paefectus, et Prof. F. Picavet, instituti Collège de France secretarius perpetuus. Salutem vero legatorum propinanti Cancellario disertissimis sermonibus responderunt inter alios v. reverendissimus Achilles Ratti, bibliothecae Vaticanae legatus, qui peropportune ac docte Clementis IV P. M., Baconis patroni, memoriam revocavit, et v. reverendissimus David Fleming, legatus Ordinis Minorum, optimarum sui Ordinis traditionum in doctrina excolenda heres atque interpres. Cuius orationem omnes celebri plausu excepérunt. Denique Collegii Mertonensis Rector huius propinatae saluti respondens, Rogeri laudes quasi in compendium rededit, quum ipsum *Anglicanum Aristotelem* nuncupavit.

Horis pomeridianis hospites, invitante paefecto, bibliothecam Bodleianam invisunt, quae potiorem, quam quae ullibi exstat, Baconianorum operum collectiōnem servat: in qua paecipua mentione digni sunt codices manu scripti « Operis Maioris » et « Operis Tertiī » et fragmenta quaedam « Operis Minoris »; itemque alia levioris argumenti operum manu scripta,

ut «de retardandis senectutis accidentibus», etc.

Hospites tandem in Collegii Wadensis hortis amoenissimis excipiuntur, ubi praecipiti iam die et opacas inter auras et dulci iuxta personante musica animos simul et corpora recreant.

Scribebam Londini Non. Sext. MDCCCCXIV.

GREGORIUS CLEARY, O. M.
Iuris Utriusque Doctor.

IN CENTENARIIS SOLLEMNIBUS
ROGERI BACON ORD. MIN.

ORATIO

ALURED D. GODLEY
ACADEMIAE ORATORIS PUBLICI.

Cum omnium mortalium qui studiis suis scientiae fines prolataverint memoriā apud nos Oxonienses vigere oporteat, ii potissimum hanc recordationem tamquam iure debitam a nobis reposcent qui tantis aequalium suorum laudibus quantas meruerunt non sunt ornati; quod quasi serum meritorum praemium si quibus aliis est tribuendum, illorum certe famam qui vel nostri fuerunt vel ad haec flumina sedem fortunarum, suarum collocaverunt perpetua pietate colere debemus. Hodie igitur eius natalem commemoratum tot docti viri convenirent, cuius nomen si esset alienus nulla annorum series et fuga temporum oblitione obruere poterat: nunc autem civis noster, et qui sicut prima rudimenta e nostris fontibus hausisse ita senectutem quoque hic egisse et in his ipsis locis columen operum structurae imposuisse dicatur, ut in perpetua recordatione ab Oxoniensibus habeatur iure optimo postulamus. Nemo scilicet fuit cuius ingenium in tenebris clarius eluxerit: ne-

minem in hoc orbe terrarum exstisset dixerim qui tantis difficultatibus impeditus tantam, quantum Rogerus ille Bacon, operum varietatem aut perfectam aut profligatam reliquerit. Nam sicut antiquitus apud Graecos

humana ante oculos foede cum vita iaceret in terris oppressa gravi sub religione, quae caput a caeli regionibus ostendebat horribili super aspectu mortalibus instans,

erat qui «effringere naturae primus portarum claustra» poterat, non alia ratione huius quoque vivida vis animi eo usque vulgi pervicit errores ut, cum doctrina quasi vinculis adstricta teneretur, eandem viam, qua postea magnus ille vir neque nomine neque ingenio dissimilis longius procedebat, hic tum ingredi posset: namque veritatem nulla auctoritate definiri sed experimentis et ratiocinando tantum reperiri posse ita constantissime affirmabat, ut ipsius libertatis causam ageret: nosque non hominem potius quam humanae mentis emancipationem hodie commemorare videamus. Sed et alia miranda in se habuit homo ante iustum tempus ut videtur natus et aevi potius specimen senioris. Quanta eruditione indagator acerrimus praeterita colligebat, quibus quasi pennis ingenium eius in futura evolabat! Multa quae posteri oculis vident animo ille praesago effinxisse fertur: et si hodie in eum locum ubi legisse et scripsisse tradunt reversus aërias illas machinas videret, vix obstupesceret Doctor ille Mirabilis, sed imaginem earum a se accurate informat esse meminisset.

Primus igitur hic augendae rerum scientiae sua sponte neque ullis subsidiis adiutus incubuisse dicitur. In quo quam rerum varietatem sibi proposuerit et alia eius volumina testantur, et testatur praecipue Opus illud Maius, quippe quo omne quod in se esset legendi et

discendi genus et scientiae omnia genera complecti sit conatus: quod ingenii monumentum aere perennius exegit. Quid de Opere Tertio loquar, quid de aliis libris quos aut perfecit aut inchoavit? dies me deficeret si res omnes quas attigit vel summatim enumerare conarer: adeo multa qua fuit eruditione tractabat. Neque dubitari potest quin tot opera ad posterorum quoque studia informanda magnam vim habuerint. Licet enim ea tum fuerit hominum condicio ut nulli continuo operae Baconianae vicarii extarent, neque perpetuis deinde incrementis illa rerum quam adumbravit cognitio aucta sit atque ditata, at nullatenus aetas adeo inhumana fuit ut faciem ab eo primo praelatam omnino passa fuerit extinguiri. Manserunt scripta, mansit quod posteros incenderet hominis exemplum: quique melioribus annis nati longius progredi potuerunt, proclivorem sibi viae cursum eius industria sine dubio munitum esse senserunt. Quam rem si documentis probare velimus, Regia illa Societas sit appellanda quam nunc ex magna parte praesentem salutamus: quae quidem multis postea saeculis hinc exorta ad hunc Oxoniensem ut patrem et principem studiorum se respicere libentissime confitetur. Adeo scientiae naturalis et infantiam et adolescentiam apud nos fotam et nutritam esse gloriamur.

Quo magis convenit ut in hac potissimum naturalis scientiae sede, in qua Opus indies Maius a doctoribus et discipulis nostris tractatum iri speramus, perpetuum laudis eius monumentum collocemus: haec enim quam videtis aedificiorum pulchritudo tota ab iis studiis, quorum ille principia contemplatus est, originem duxit: neque in tot clarorum virorum imaginibus qui «inventas vitam excoluere per artes» absolutissima illa quasi fundatoris statua diutius debet

desiderari. Stat iam in hoc loco magnus ille Franciscus: salve, Rogere frater, in Oxonium redux! Vides fructum operum tuorum: vides tot virorum insignium congressum quo initia ista evaserint indicantem. Proinde nunc in quo scientiae adyto vota tua et voluntatem apud nos etiam vigere videmus, corporis tui effigies sistatur: mentis semper et ubique maneat imago: illa aciem intellectus ne sinat erroribus praestringi, illa praesens ad investigandam rerum veritatem corroboret nos atque confirmet.

Ne adolescentes a latini sermonis cultu deterreantur⁽¹⁾

Dicit aliquis: Possumus ne mente facile dimetiri, quantis dilabatur spatiis poëtica et oratoria facultas, in quarum sinus, quasi in aliquod commune centrum, omnes undique artes ac disciplinae commeando, infinitas suas opes important? Atque haec universa, quot quantaque sunt ille enavigare debet, qui velit ad optatissimas litterarum sedes, quasi ad quasdam beatorum insulas pervenire. Quis autem speret in hisce angustiis quas natura nobis ad vivendum dedit, fore, ut ne in medio cursu totis urgentem remis occupet mors, et inane solatium voluisse se, sed arripere non potuisse, secumque illud ferat sub terras?

Atque hīc multa de perpetua successione singularum aetatum, deque cursu brevissimo temporum conqueruntur. Iam enim elabi pueritiam sine lucro; adolescentiam totam in scholis absumi; virilem aetatem negotiis dome-

(1) Cfr. fasc. II.

sticis civiliumque munerum functionibus occupari; senectutem satis in tuenda valetudine curandaque cute, laboris habere maximam vitae partem, somno, morbis, necessariis relaxationibus infructuosam intercipi. Denique quidquid incommodi est, omne congerunt, fungunt etiam siquid non est. Postremo addunt exempla hominum plurimorum, qui innumera prope sibi superesse, quae disserent, qui se nihil scire post multis annis assidue in discendo vexatam aetatem, magno cum dolore dictitaverint. Qua re aut a musis deficiunt, aut forte si perstant, anxie gelideque progrediuntur, cui nihil aeque potest esse in omni actione magnis profectibus inimicum.

Huiusmodi, inquam, est ferme eorum oratio, qui timori suo (an verius ignaviae) excusationem quamdam praetendere conantur, non iustum illam quidem, sed quae attente rem non perpendentibus, aliquo modo probari tamen posse videatur.

Verum, etsi sapiens semper Hippocrates, in eo tamen, quod longam esse artem, vitam vero brevem affirmavit, ut libere loquar quod sentio, minus mihi fecisse sapienter videtur. Etenim, quid est hoc aliud, nisi quos invitare atque allicere ad discendum blandis pollicitationibus debuerat nimis per se timidos adulescentes, eos ab egregie conando audendoque vanis terriculamentis evocare? Sed ille ut opinor, corporibus mederi, non animis sciebat; qui tamen interdum maiore etiam, quam corpora, medicina indigentes, et moliores quum sint ac delicatores, levius omnino atque cautius tractandi sunt.

Fortasse etiam infinita quaedam et insatiabilis discendi cupiditas in eo viro loquebatur, quod, multa quum sciret, plura tamen scire, quam posset, optaret. Sed hoc nimirum si cupimus, ut omnia teneamus, si nulla nobis satis esse

scientia videtur, nisi quae nulla parte sui vacua sit, nihilque ultra capere possit, humani vires ingenii quae et quanta sint, quid humeri valeant, quid ferre recusent, certe non intelligimus. Quae enim esse tam longa vita potest, quae ad omnium rerum, quae sciri possunt, comprehendensionem sufficiat? Si vero pati possumus, quandoquidem omnia non licet, ut multa discamus, si eum deum hominem scientissimum facimus, qui plura didicerit, audierit, legerit, qui in omni sermone et disputatione versari, si opus sit, cum dignitate possit, qui in nulla proposita re hospes et peregrinus deprehendatur, si modo tolerabile ingenium natura nobis largita fuerit, non est, credite, cur plures vitas ad id assequendum optare debeamus. Neque enim singularum artium tam infinita sunt spatia, ut haec decurrere cum vivimus, si modo volumus, non possimus. Palletis, si quando bibliothecam ingressi magnificam et copiosam, multiplices illas scriptorum dispositas classes, ingentem illam voluminum vim intuemini. Quis ista, clamatis, non modo discere tota vita, sed vel legere satis commode possit? At vos nihil interim cadatis animo. An putatis quaecumque in his voluminibus ubique continentur, nova esse omnia, inaudita, a nullo homine ante praevisa? Immo vetera, inculcata, saepe etiam ad fastidium usque repetita. Nihil aut parum invenietis, quod non sit ante dictum ab aliis, nihil, quod suum esse quis iure clamet, nihil, quod quasi mutuum repeteret sibi alias non possit.

Vivitur rapto!

Immo idem saepe eadem, paucis immutatis, a seipso mutuatur. Igitur non vobis sunt universa illa volumina, quae perhorrescit, pervolvenda: quis enim hoc unquam queat? Verum satis est, si in arte qualibet, ex bonis optimum, ex

optimis recentissimum vobis seligatis; hoc ametis, hoc diligatis, hoc vobis adhibeatis familiare, ab hoc ne discedatis; quod ubi diu multumque pertractaveritis, scitote vos eodem tempore, et cetera pertractasse, quod omnia hoc uno fere continentur; veluti Oceanum si quis viderit, omnia vidisse se maria testari potest.

(*Sequetur.*)

Doct. ALEX. AURELJ.

De Assumptione B. V. Mariae in caelum

In Ecclesia catholica annua celebratur solemnitas, in qua recolitur « sancta Dei Genitrix mortem subiisse temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuisse »; populusque ipse christianus, Assumptionem B. V. Mariae in caelum a saeculis credit; imo tanta credit certitudine, ut iuxta veteres theologos « summae temeritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret ». Iuxta vero recentiores, sententia assumptioni contraria temeraria esset, quia doctrinae certae et indubiae opponitur; *falsa* quia theologiae contrariatur; *proxima haeresi*, quia contra universalem persuasionem atque authenticum Ecclesiae magisterium militat; ille vero qui huiusmodi amplecteretur sententiam, gravis esset culpae reus (1). Ad fideli nostrae, in B. V. Mariae in caelum assumptione, solamen, eiusdem Assumptionis notio, veritas, atque definititas statuendae sunt.

(1) Cf. FEI, *Theol. Dog.* v. III n. 204.

(2) *Revue Thomiste. La définitibilité de l'Assumption.*

* *

B. V. Mariae Assumptae in caelum festum, quod die xv mens. Augusti in Ecclesia quotannis celebratur, non semper « Assumptionis » vocabulo designatum fuit. Primitus, voces « Dormitionis, Pausationis, Transitus, Quietis » adhibitae fuere; modo autem, voce « Assumptionis » festum illud designare, in usu est Romanae Ecclesiae.

Assumptionis vocabulum multa significare potest. Aliquando enim, dormitionem et transitum B. V. Mariae ex hac vita ad aeternitatem, vel B. V. Mariae resurrectionem eiusque cum anima et corpore in caelum translationem; vel B. V. Mariae ingressum cum anima et corpore in caelum, significat. Videcet: B. V. Maria virtute divina, ad differentiam Iesu Christi qui propria virtute in caelum ascendit, in caelum elevata fuit. Pro claro viro Renaudin (2) vocabulum *Assumptio* in recto, « triumphalem ingressum in caelum Virginis Mariae, quae iam resurrexit; in obliquo vero beatam eius mortem significat ». Pro nobis quamvis vox *assumptio* mortem Beataeque V. Mariae resurrectionem importet, « Beatae Virginis Mariae in caelum elevationem virtute divina effectam » significat.

* *

Veritas assumptionis B. V. Mariae in caelum, ex S. Scripturae textibus « suavisibilis » quamvis « parce » atque « minus facile » statui potest. Primo in c. 3 *Geneseos* v. 15 legitur: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius ». Ex quo textu appetet B. V. Mariae

somption. 1902, Mai, p. 195. Cf. VACANT. *Dictionnaire v. Assumption*, p. 2127.

triplicem ferendum esse triumphum: supra generis humani hostem, idest respectu peccati, respectu concupiscentiae, respectu mortis quae « peccati stipendium est ». Sed B. V. Maria primum secundumque triumphum per hoc obtinuit, quia ab actuali contractione pec-

“Salve, Regina”

*O caelo Regina potens terrisque, Maria,
O quae pro miseris viscera Matris habes;

Salve: iterum salve. Tu spes dulcedine plena,
Tu vita es nobis, Tu bona cuncta ferens.

Damnati exilio primaevi labe parentis
Ad Te Eva nati vota precesque damus.

Ad Te clamores, ad Te suspiria ab ima
Valle, cui a lacrimis flebile nomen inest.

Et flemus gemimusque! Eia ergo clientibus adsis
Atque piis miseros aspice luminibus.

Idque unum tandem praestes, quod visere Iesum
Possimus tristi hoc liberi ab exilio:

Iesum, nempe tui fructum ventris benedictum,
O clemens Virgo, o dulcis et usque pia.

Die festo SSmae. Trinitatis MCMXIV.*

• IOS. BONAVENIA, S. I.

cati originalis atque ab omni peccati fomite immunis fuit. Tertium vero habetur solummodo per Assumptionem, in qua nulla est mortis corruptio, et vitoria.

Novum argumentum ex verbis S. Luciae (I, 28): «Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena! Dominus tecum!

Benedicta tu in mulieribus » nobis offeratur. Plenitudo illa gratiae specialissima videtur excludere: a) contractiōnem originalis culpae; b) contractionem cuiusque fomitis peccati, c) contractionem corruptionis mortis. Modo contractionis corruptionis mortis exclusio habetur per assumptionem B. V. Mariae in caelum, in qua anima et corpus incorruptum B. V. Mariae in caelum transferuntur. Praeterea, dum B. V. Maria «benedicta in mulieribus» vocatur, de benedictione specialissima ibi fit sermo, quae quidem benedictio omnem peccati mortisque maledictionem excludit. Maledictio vero mortis per Assumptionem B. V. Mariae in caelum, in qua nulla est corruptio, excluditur. Audiatur Angelicus (1): «Tres maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit B. Virgo... Tertia fuit

communis viris et mulieribus, scilicet, ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo: quia cum corpore assumpta est in caelum: credimus enim quod post mortem re-

(1) *Opusc. c. vi, Expos. de Ave Maria c. i. VIVES xxvii.*

suscitata fuerit, et portata in caelum. *Psal. cxxxii, 8:* Surge Domine in requiem tuam: tu et arca sanctificationis tuae.— Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in mulieribus».

Neque Patrum testimonia desunt circa B. V. Mariae assumptionem in caelum. Iuxta nonnullos catholicos ante saeculum VI et VII, in favorem B. V. Mariae assumptionis Patrum et scriptorum testimonia inveniuntur, ita ut, si penes Patres qui Ephesinum Concilium (431) praecesserunt, profundior exerceatur investigatio, absque dubio pro assumptione B. V. Mariae in caelum, argumenta sufficientia habentur. Iuxta alios vero, dimidio saeculi VI tantum, prima documenta historica fidem in assumptionem B. V. Mariae nobis testificantia inveniuntur. Neque mirandum de antiquorum silentio. Primis quidem Ecclesiae saeculis, scriptores catholici rebus maximi momenti consulentes scripto tradere non poterant, quae B. V. Mariae cultum respiciunt. Omnibus perpensis, concludere licet, fidem catholicam in assumptionem, per traditionem oralem, ab Apostolis usque ad nos derivasse. Sola haec explicatio ad eiusdem veritatis originem statuendam sufficit. Origo enim haec, neque a scriptis apocryphis derivatur, neque traditioni scriptae nota est. Huius quaestionis solutio, in sola traditione orali, usque ad Apostolos ascendentē, invenitur (1).

Theologorum auctoritate, congruentisque theologicis, assumptionis B. V.

(1) Cf. VACANT, *Dict. de Théol.* Fasc. VIII, p. 2134-36.

(2) *Opusc. vii in Symb. c. viii VIVES.*

Mariae in caelum veritas comprobatur. Sint verba Theologorum principis, S. Thomae Aquinatis (2): «Quarto (resurrectio Christi a resurrectione aliorum) differt quantum ad tempus: quia resurrectio aliorum differtur usque ad finem mundi, nisi (ita in *Editione Parmensi*) aliquibus ex privilegio ante concedatur, ut Beatae Virginis, et ut pie creditur, beato Ioanni Evangelistae». Et in *Summa* (3 p. 27, 1): «Rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in caelum, quod tamen Scriptura non tradit». Atque 3 p. 83, 5, ad 8: «Monstrat, scilicet ipsum Christum, et B. Virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus iam sunt in gloria».

Congruentiae Theologicae suffragantur. «Piae, — inquit ad rem Benedictus XIV (3) — ac religiosae sententiae de assumpto in caelis Virginis corpore rationes etiam theologicae suffragantur, petitae ex dignitate Matris Dei, ab excellenti virginitate, ab insigni super omnes homines et angelos sanctitate, ex intima cum Christo Filio in Matrem dignissimam affectu». Duas ex congruentiis hisce afferimus, unam nempe ex maternitate divina Mariae, ex dignitate altissima eius alteram.

I. Ex Maternitate divina Mariae. «Beata Virgo, — ait Angelicus (4), — ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus». Hinc divina Maternitas causa est, quod B. Virgo Maria: a) sit prae ceteris creaturis in speciali ordine constituta; b) sit propin-

(3) *De Canoniz. sanct. l. i e. XLII, n. 15.*

(4) 1 p. 25. 6 ad 4.

quissima Deo; *c)* caro Iesu Christi sit caro Mariae. Sed propter dignitatem hanc, atque huiusmodi privilegia, de-
cens est, ut B. V. Maria particeps sit Christi privilegiorum, tum in resurre-
ctione et ascensione in caelum, tum in
eo quod corpus eius corruptioni mortis
minime subiiciatur; quae quidem omnia
non nisi per assumptionem in caelum
habentur.

II. Ex dignitate altissima Mariae.—
B. V. Mariae excellentia eo usque per-
tingit ut fuerit *a)* immaculate concepta,
b) plena omnium gratiarum, *c)* virgo
ante partum, in partu, et post partum;
d) impeccabilis. Sed creaturae tali tanta-
que dignitate praeditae, convenit, quod
corpus eius corruptioni non subiiciatur,
atque in caelum divina assumatur vir-
tute.

**

Circa denique quaestionem «an as-
sumptio B. V. Mariae in caelum sit
definibilis», sententiae clar. P. Ians-
sens (1) adherentes, dicemus: Si *tradi-
tionem* spectas, longe magis ea est de as-
sumptione B. Virginis, quam de eius
Immaculata Conceptione manifesta. Si
Scripturam attendis, facilius quidem e
Sacris Litteris eruitur Immaculata Con-
ceptio quam Assumptio; at posita Im-
maculata Conceptione, ex eiusdem plerumque
argumentis adduetis et aliis, vi
harmoniae dogmaticae proxime Assum-
ptio deducitur. Assumptionem autem
esse per se factum aevi apostolici sat
cum dogmate connexum ut ex hac
parte saltem definibilis sit, nemo sane
negabit.

(1) *De Deo homine*, t. v, p. 960.

Quum tamen filii et quidem devoti
Ecclesiae simus, quumque B. V. Mariae
assumptionem in caelum *firmiter totoque
ex corde* credamus, sapienti Ecclesiae
iudicio relinquimus definire, vel non,
B. V. Mariae in caelum cum corpore
et anima exaltationem.

REGINALDUS FEI, O. P.

Ingenuarum artium specimina

**Caesaris Fracassinii tabula, Sanctum Lau-
rentium effingens diaconatus ordine
auctum.**

Tabula, quam hodie lectorum oculis
subiicimus, Romanae basilicae S. Lau-
rentio martyri ad agrum Veranum di-
catae, decus est atque ornamentum. Eam
Caesar Fracassinius delineavit, heu! cito
nimis, aetate XXIX annorum, arti pra-
reptus, pictoricae neoclassicae scholae
facile princeps, quae medio XIX saeculo
in Urbe non sine laude floruit. Figura-
rum dispositio, lineamenta, habitus ipso-
rumque sobrietas colorum id apprime
testantur; docentque simul scholam eam
non quidem infecunda artificium XVI sae-
culi imitatione fultam, imo vero pro-
prio eoque commendabili artis afflatu
fuisse ingeneratam.

X.

*Si fortuna volet, fies de rhetore consul;
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor;
Servis regna dabunt, captivis fata trium-*

[phos.]

IUVENAL., *Satyr.*, VIII.

De quodam saeculi vitio quod homines maxime torquet. (1)

Quid de vestibus dicam? Paulo ante
mulieres in amplissimo vestium ambitu
graviori vultu incidentes, maximum sibi
obsequium comparabant, et honesta ca-
pitis caesaries, arte tenui composita
unoque potissimum aureo seruo perstri-
cta, ori gravitatem addebat. At nostrae
aetatis mulieres, cunctis pudicitiae re-

corporis membra lacertosque devinciunt,
ut vix incedere fas sit, omnemque pul-
critudinis decorem amittant. Sed et ista
et peiora mox patienter stulteque su-
stinebunt incommoda... « si volet usus,
quem penes arbitrium et ius et norma
vestiendi ». Hic autem usus, quem re-
centiores *Moda* appellant, quasi a mod-
eramine originem ducat, si rem bene
perpendas eiusque indolem intimius de-
promas, non a modestia deduci eam
arbitraberis, verum equidem ab immo-



gulis ablegatis, viros quoddammodo in
habitudo aemulatae, omnisque pudoris sen-
sus pertaesae, levissimis se vestibus con-
tegunt. Has non modo christianas am-
plius dixeris, sed potius inter barbaras
gentes retrusas, barbarice vivere. Non
pudor est eis ullus, non decentia; atque
ita stricte atque inhoneste vestem circa

destia. Nunquam procul dubio sunt re-
petenda aptius atque opportuus illa
Sallustii verba: « At nos vera nomina
rerum amisimus ».

Haud velim tamen reputes me in
luxum matronarum invehi, qui lapsis
temporibus apud romanarum mulieres cre-
verat tamquam apud asiaticas, neque
in earum immodicum comptum cultum
que, nec de vestibus hic sermo est, quas

(1) Cfr. num. sup.

perpetuo illae ad luxuriem significandam gestarent. Quis enim ignorat quam innumeris fuisse ipsis vestes, earumque congeriem atque arcam vestiarium in immensum prolatam, conglobatim *mendum muliebrem* vocari solitum? Terentius eas graphicē qui suus mos erat, depictivit, quum diceret:

Dum moluntur, dum comuntur, annus est!

Ad rem faciunt quae de homine levissimo scripsit Horatius:

... *Repetit quod nuper omisit.*
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis.

Quam apte! Quam recte! Hanc, quam transigimus aetatem, vere «aestuosam» adpellandam esse dixeris, quae ancipiū semper gradu progreditur, novis agitatur cupiditatibus, nec unquam satis habet; et quod nunc sumit, mox ponit; quodque mane placuit, fastidiose ad meridiem reiicit, aliaque altiora praesumit, quum peior semper evadat. *Moda* enim quae mobilitate unice viget ac nititur, mentes mulierum continue movet, vexat atque molestat. Sicque virorum crumenae varie atque adsidue perturbantur.

Quo tempore Parinius immortali illo carmine vitia nobilium est insectatus, patres nostri sorti eorum subridebant, qui divitias nuper a parente acceptas, fucato commercii nomine abducti, in res inanis saepe saepius mutaturi iocose effundebant. Sed iam proximus ardet Uelegon! Namque haec mire aestuans vitorum flamma hue illuc invadit, et universos fere civitatis ordines amplexata, mediis, quas dicimus, hominum classibus misere direptis, cupidine quadam insaturabili tunicatum quoque popellum undique obruit. Quis enim per urbem puellas novis huiusmodi ornamentiis indutas cernens, cum nobilibus de primatu

certantes, illas adhuc norit, quae ab officinis nuper profectae, ubi opere adsiduo vitam quotidie sibi quaeritant? Nec ipsae forte nobiles puellae tot habent industrias in capillis componendis, in vestibus exornandis, vel in ipsis calceamentis.

O tempora! O mores!

Utinam vero haec continua rerum mutatio valetudini saltem aliquantis prospiceret! Sed nihil est magis valetudini obnoxium quam hic perpetuus novarum vestium usus. Scite equidem atque eleganter more suo Iacobus Leopoldius breviter in aetatis suae errores respiciens, in dialogo quodam, quem merito «*La Moda e la Morte*» inscripsit, acerrimo modo et festivo in eos inventus est, cives suos admonuit, ne hoc infando ac teterrimo saeculi vitio rapi paterentur, et sic divitiis parcerent familiarumque prosperitati. Sed quid hinc? Quid diceret, si forte e sepulcro caput suum aliquando levaret, et nostras civitates adspiceret tot vitiorum generibus opprimi ac prope praefocari? Quot asper rimos aculeos fremens, indignabundus in saeculum pravum corruptumque iaceret!

Sed si nec divitiarum stupida direptio, si nec ipse mortis timor cives nostros ab huiusmodi pompis atque ineptissimis ineptiis revocavit, quid faciam ego? Quare facerem operis pretium, auresque surdas pulsarem, idemque nostrum vitium perseverer, quod omnes fere homines invadit atque arbitrio suo stolidē ducit, diu multumque dubitavi. Attamen quamvis haec aliaque in mente argumenta venirent, patriae amore adlectus atque religionis, rem libero ore pertractare, quidquid in posterum est evasurum, adgressus sum.

Et *Alma Roma*, quae nunc primum inter gentes, christiana sapientia unice freta incertis adhuc gradibus procedit, more veterum suis fidentissime praedi-

cat: «Hoc mihi felix, faustum, fortunatumque siet!» Verum in re tam gravi maximique momenti ad Deum confugiens dico: «Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus annis!»

Augustae Taurinorum.

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITÆ

FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE (1).

CAL. — (*capiens chirothecas, quas pulvere abstergit*) Ecquid novi nunc?

FRID. — Imo vetus est culpa vestra, qua me debet assiduo coram gentibus pudere. Quorsum abiit vestrum caput? Contemplamini quam haec me vestis deceat! (*Thoracem inversum indicat*).

CAM. — Quotiens frustra te exeuntem revocavi, animadverti...

STA. — Et ipse ego, domine mi...

FRID. (*Stasimo*) — Mala tu es bestia nunquam auscultanda.

CAL. — Nec patris vox, ut videtur, tibi auribus accipienda, quando iras inconsulto geris! Dicam igitur ipse tibi impingas!... Enarres interim mihi ut res fuerit.

FRID. — Facile absolvere paucis. Institor ille, homo est quos terra sustinet obstupidissimus. Verum baronem ego excussi... Aedopol, si excussi!... Quando — vix hora nunc intercessit — eius tabernam adivi ad emendas chirothecas, erat iam ibi mulier... sed quam mulierem dico? Triveneticam potius aniculam, Aegyptiarum gabarrarum specimen!... Ut naribus amoverem mephitem un-

(1) Cfr. num. sup.

guentorum ex dissesto illo corpore manantem, quam ocissime chirothecas deligo, solutoque pretio, institori trado, qui eas charta circumPLICET. Quid vero ille hebes? Tradit mihi pupulum, quem rancidae foeminae vendiderat, isti autem chirothecas, quas ipse emeram. Num ego tantam stoliditatem vel suspicarer? Involuerum arripi, digredior... Quae bilis mihi nuper audienti canalicolam illum inclamantem: — «Atqui bardus tu: observa vestem tuam, ac deinde stoliditatis me arguas!» Male, fateor, tum me habui: poteram tamen tradere causam adversario? Itaque eius vocem exsuperans: — «Quid — inquam — me captas, carnufex? Ego thoracem; tu cerebrum habes inversum». — «Nae, nae, — subdit ille, subrufus tamquam capsicum factus — tu matronae illius (sagam eam appellabat matronam!) ludicrum pupum tuis ipsius manibus abstulisti, et cum eo residuum quinquaginta libellarum pecuniam, quam ego matronae eidem comparaveram». Tum vero successui, quantumque quis niti potest: — «Oculos hercle istos improbos — strepui — tibi effodiam, quando observare non possis quid rerum istic agas!»; obtusoque illi per pupulum ore, chirothecas recuperavi, et huc redii, convicia actionem ei minitans... Furcifer! Me alterius pecuniam usurpare!...

STA. — Ignoscas mihi, herulorum humanissime, obloqui audenti... At numeri, quos pater ex pectoralis crumena extraxit...

CAL. — Pecuniam, quam tecum portabas, professus es te omnem consumpsisse...

FRID. Ita sane, omnem.

CAL. — Adnumeremus igitur has chartulas nummarias tibi prorsus ignotas. (*Globolum foliorum*, quem suo tempore seposuerat, dispandit). Decem... viginti... triginta... quadraginta quinque. En ad

amussim reliquiae libellarum, quas mulier ad solvendum dederat.

FRID. — At credis tu vetulam illam sordidam libellas quinque prodegitte ad foedum simiolum acquirendum? Dummmodo ne reputaverit suam imaginem sibi redemisse...

CAL. — Nil amplius, inordinatissime!.. Heus tu, Stasime, redde statim institori pecuniam banc; caussam aliquam pro herulo tuo cape... affer in eius defensionem aetatem, hodiernam a vita communi avocationem; adde...

FRID. — Quae ego dixi, alium, non eum attingere.

STA. — Quae vero in os dedisti...

FRID. — Quae dedi, habeat! Abi in malam crucem!

STA. — Hui, quae intemperies! (*Exit*).

FRID. — Compendium hercle! haud aetati optabile servus iste fecit, quum istanc nactus est impudentiam! Profecto is erit nobis dimittendus.

CAL. — Hem! Et istud, ut servum frugi, liberalem, fidelem ablegemus!

FRID. — Atqui insolentissimus est!

CAL. — Tu quidem protervus in eum patientissimum...

FRID. — Huccine ergo devenimus, ut pater in filium suum tutelam servi consulto suscipiat?

CAL. — Patrocinium agere cuiusque hominis calumnia petiti, honestum, imo debitum est.

FRID. — Quidquid hoc est, in huiusmodi vano negotio tempus certe terimus, et producitur hora conveniendi Lentulum. I, pater, amictum te ampla, quam decet, veste.

CAL. — Doleo equidem quod audio filium a me rite productum, generosis sensibus carere...

FRID. — Ito amictum, pater.

CAL. — Doleo tu te ita geras...

FRID. (*elatiore voce*) — Ito, inquam, amictum!


CAL. — Qui imperare nato insueram, nati nunc imperio obsequar? Vae! de te abiiciam animum patris!

FRID. (*patri blanditur*) — Indignum profecto id foret; ego enim te amo, usque adhaereo; quod iubes et vis, facere studeo; quod non vis ac vetas, de industria fugio, deque tuis curis habeo magnam gratiam; hoc praesertim vespre, quem mihi prae ceteris fortunatum fecisti. At ita interdum est meum ingenium, ut nequeam mihi facile moderari. Tu vero, parentum optime ac benevolentissime, quo humaniore es animo, eo sis erga delicias tuas ignoscentior, atque... amictum te vadas.

CAL. — O meum corculum! Phaleratis suis dictis me vincit. Ut eum obiurgem? Unde mihi castigandi vis?... Amictum eo. (*In cubiculum suum recedit, oscula summis digitis imposita iactans Fridiano*).

(*Ad proximum numerum*).

I. F.



ANNALES

Animus hodie scribere horret luctuque refugit: in eo enim discrimine sumus, quod fortasse nunquam historia vidit. Ecquando namque in Europa omni **immane belli incendium** ut hisce diebus conflagravit? Quod si unius anteacti vix saeculi memoriam revocaveris, tum in unum hominem Europae gentes, Russi, Austriaci, Borussici, Angli, Suedi, Iberici coniunctim agebant; nunc ex adverso Europa in duos campos dividitur, quorum in altero Germani praepollent, Slavonii in altero; atque in formidabile stirpium nationumque certamen per iram inconsulto se ingurgitat, unde effectus ii facile oriuntur, qui non regno-

rum tantum fines et ditionem, sed ipsum populorum animum et humanitatem tot tantisque laboribus partam subvertere valeant.

Unde autem tanti flagitii caussa? Ex una illa profecto, quam in superiore fasiculo adnotavimus caudem Austriaci imperii haeredis peperisse: compertum est enim crudelem hanc necem ex coniuratione, a qua et Serborum militum principes abstinere non dubitarunt, fuisse comparatam. Hinc factum est ut Austrorum gubernium a Serbico satisfactionem exigeret, eademque iis terminis quibus requirebatur recusata, finitimo populo bellum indicaret. Ecce autem Russici medios in conflictatione hac sistere se nequire declarantes, arma expedient; iis ex foedere Galli accidunt, eademque ratione Austriacis Germani. Tum Anglicae simul et Italicae civitatis administri bona officia sua ad componendam dissensionem interponere conantur; frustra tamen: dum enim Russia petit ne interim in Serbia hostilia gerantur, Germanorum Caesar respondet praeferre se recto tramite cum singulis nationibus agere; quum autem videt produci colloquia, aemulosque ad imperii sui fines copias hinc inde congerere, moras interrupit bellumque in Russos Gallosque movet. Sic septuagies centena hominum millia in armis sunt, totidemque ipsis sufficiendis parantur. Quibus autem armis! Si eorum efficiantiam cum Neapoleonici belli, de quo superius mentionem fecimus, armorum efficiencia comparaveris, eam triplam factam coniicies, ita ut demolitricem vim vicies et quadringenties centenorum militum millium habeas!

Humani generis misereatur Omnipotens, fidelium suorum precibus commotus, ad quas Sanctissimus Christi sui in terra Vicarius impulit, verbis paterna caritate redundantibus, quae sequuntur:

Dum Europa fere omnis in anfractus abripitur funestissimi belli, cuius quae pericula, quas clades, quem exitum qui paullulum reputaverit, is profecto luctu atque horrore se confici sentiat, non possumus non gravissime et Ipsi affici, non angi animo moerore acerbissimo, quum simus de tot civium, de tot populorum salute ac vita solliciti. In tanta rerum omnium perturbatione ac discrimine plane sentimus atque intelligimus hoc a Nobis paternam caritatem, hoc apostolicum ministerium postulare, ut christifidelium omnium animos eo convertamus impensius *unde venit auxilium*, ad Christum, dicimus, *principem pacis* et *Dei atque hominum mediatorem* potentissimum. Huius igitur thronum gratiae ac misericordiae adeant omnes, hortamur, quotquot sunt per orbem catholici in primisque viri e clero; quorum insuper erit, iussu Episcoporum in unaquaque paroecia publicas peragere supplicationes, ut misericors Deus, quasi piorum precibus defatigatus, funestas belli faces amoveat quantocius detque benignus iis qui publicae rei praesunt cogitare cogitationes pacis et non afflictionis.

Ex Aedibus Vaticanis die II Augusti MCMXIV.

**

In unica hac eaque terrifica quaestione animis occupatis, secundas tenent civiles eventus ad quos prius intentius animadvertebamus, quosque summa per capita referemus.


Nihil magni momenti in **Albaniae principatu**, ubi rebelles immoti nunc manent, ita ut suspicari liceat, immensi

novi conflictus eruptionem potentem aliquam, ut ita dicam, afflatus vim ab iis abstulisse.

In Anglia vexata Hiberniae libertatis quaestio sanguinis effusionem primum procuravit; obortis enim congressionibus inter «nationalistarum» factionem atque «Ulsterianorum», milites intervenire oportuit, habitique hinc inde sunt cives occisi aut vulnerati.

In Mexicana denique **republica**, compositis cum Statibus Foederatis Americae Septentrionalis pro tempore feliciter rebus, ac Huerta tandem a praesidio munere recedente patriamque linquente, Carbalal minister in eius locum suffectus est. Ei nunc obstat Carranza praefectus militum; quamquam postremi nunci affirmant inita fuisse colloquia, quibus foedus inter duos viros ad civitatis bonum feriatur; quod quidem est in votis.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Feria IV cuiusque hebdomadis Romae, in foro, cui a celeberrimis aedibus Cancillariae Apostolicae nomen, et in viciniis circum, **singulares** quidem **nundinae** habentur, exteris advenis praesertim notae atque acceptae, qti ibi scruta omnis generis mercantur secumque longe trahunt felices,... etiamsi plerumque rerum qualitate, valore ac pretio a Iudeis illis, qui fere eam omnino mercaturam exercent, ingeniose decepti. Quod autem mercimonium! Vides, ut pannicularia praeteream, frusta holoserica sive damascena, aut villosa, vel rasa; vides incondite disposita segmenta, limbos, byssum, amenta, stragula; en fulcraria, aulaea, peristromata, tapeta, ac multicia

serica, attalica, conchyliata, belluata... Habes utensilium genera multa ex metallo plano aut caelato: pelluvia, alveos, mortaria, caliculos, ignitabula, cophinos, ollas, paropsides, trullas, pyxides, situlas, lychnos monomyxos, dimyxos, polymyxos, quos nonnunquam Angli et Americani praecipue, illinc per Urbem gestientes circumferunt; patinas praeterea fictiles, baucalia, cupra picta; et amulas aliaque vitrea vasa; et opticas fistulas, specilla, gemmas, et supellectilem ad usum omnem; tabulas denique aere ceras vel photographice expressas, et libros a privatis bibliothecis maxima ex parte provenientes atque auctione iam divenditos.

Inter huiusmodi ad amussim tentoria incuriose superiore mense vagabar, unum vel alterum volumen per otium exsciendo, quando in manus meas venerunt *Satyrae* Ludovici Sergardi, an. MDCCXXVI vita functi, viri — ut eius epithaphium indicat in capite libri positum — «omni litteraturae genere, latina praesertim poesi ornatissimi, in qua priscos aequasse carmina nomine Quinti Sectani evulgata demonstrant». Quas quum pervolutarem, non sine iucunditate legi, quae nihil melius hodie vobis, amici lectores offerre me posse putaveram, quando, ex adverso, edoctus sum ob spatii necessitates ea ad alium numerum differri debere. Ad **utilia** igitur exsiliamus.

**

Phoebo hisce diebus fervente, nonne iuvat gulam frigerare? En igitur facilem **rationem nivati scitamenti suavissimi comparandi**.

Syropo per ebullitionem confecto ex saccharo (gr. 200) et aqua (gr. 200), accipe fragorum bene maturatorum gr. 300, fraga ipsa in linteolo presses, sucumque omnem extractum, humoris ex limonio malo aliquot guttis addito, cum

syropo commisce; omnia denique per linteolum rursus eliqua. Converte nunte ad ichthyocollam, quam iam horas duas mollem servaveris, in aquae decilitro ebullias, ferventemque in praefatam commixtionem fundas. Ad ultimum adiicias, si placet, *rhumii*, qui vulgo dicitur, liquoris trium cochlearium mensuram, compositionemque in stanneam formam immittas, quam in nive servaveris exspectans dum omnino spissetur.

**

Iocosa.

In schola.

Magister discipulo: — Si tibi darem pruna sexaginta, persica mala sexdecim, pira duodecim, cerasa duo supra quinquaginta, pepones denique septem cum sex condiscipulis tuis dispertienda, quid singuli caperetis?



ROMA SACRA

Die XXXI elapsi mensis Iulii, Sacer Purpuratorum Coetus gravem luctum est passus. Etenim

IOANNES BAPTISTA LUGARI

qui illa die placide quievit in Domino, doctrina ac pietate singulari quibus excellebat, fulgidissimum eius ornamentum iure poterat existimari.

Romae natus die XVIII mensis Februarii MDCCXLVI, admodum adulescens in celeberrimo Collegio Romano Societatis Iesu litterarum et utriusque iuris cursum laudabiliter explevit, duplice laurea cunctis suffragiis coronatus est. Innocens, verecundus, honores

Discipulus tacet. Magister instat:
— Eia, age, respondeas.
Puer: — Alvi dolores!

**

Aenigmata.

I.

(*Permutatio vocalis*)

Primo conspersum rutilat quasi gemma
[secundum.]

II.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum
Pinnigerum praesto remigium alitibus.

(Aenigmata in superiore fasciculo III proposita his respondent: 1) *Latet anguis in herba.* — 2) Si scripsero Romanis litteris novem supra decem, dempto uno, scilicet I, viginti habebo [XIX, XX].

IOSFOR.

consulto devitans et a publica vita ciuilique foro abstinentis, in sacrae antiquitatis studium, cuius disciplinae brevi peritissimus evasit pluraque scripta editit, atque in causis Servorum Dei beatificationis et canonizationis agendis totum se dedit, in iisque iuuentutem ac prope virilitatem omnem exercuit, scilicet ad annum usque MDCCXCVI, quando tandem, ipsius Leonis PP. XIII consilio roboratus, anxi trepidantisque animi haesitationes dirimens, in sacerdotium venit.

Qui iam inter Sacri Consistorii advo-
catos fuerat adlectus, ut sacris est initiatus, Fidei Subpromotoris, ac deinde, vix anno post, Promotoris munere fun-
ctus est; ego qui scribo, quique Adiu-

tor a studiis in eo officio fueram, tumque ad sanctorum causas Notarii ministerium gerebam, de eius religione, animi integritate, iustitia, quae pluries sum expertus, amplissimum reddere possum testimonium. Imo de summa eius doctrina omnibusque virtutibus; namque etsi ad altiora ille fuerit provectus, nunquam tamen, ad ultimos etiam eius vitae dies, ab eius consuetudine ac prope dicam familiaritate, quam tum iniveram, discessi.

Auditor Sanctissimi et Sancti Officii Adssessor a Leone PP. XIII suffectus et a Pio PP. X confirmatus, eumdem magistratum si plus quam solet, per decennium, tenuit, id ob eius peculiarem in officio perfectionem factum esse procul-dubio est affirmandum, ob quam Pontificem pigeret discedere a se talem virum, quo cum, de humanae naturae lamentabilibus miseriis disceptare coactus, lacrymas ingenuo dolore promanantes to-tiens ingeminasset!

In Sacrum Senatum, exeunte a. MCMXI, cooptatus, et ad Sacras Congregationes Indicis, Concilii, simulque ad Pontificiam Commissionem ad biblica studia provehenda addictus noster immutabilem navitatem diligentiamque iis contulit: dilecta que christiana antiquitatis studia, iamdiu interrupta, fore ut resumere simul posset sperabat, quando Bernardum fratrem, quem summopere adamabat individuumque comitem habuerat tum, quia architectum archaeologicaeque disciplinae et ipsum expertum, in effosionibus, quas in suo praedio ad Appiam viam non sine fructu suscep-erat, tum imo in omni vita, atra mors ab eo improviso divulsit.

Vulnus inde accepit, quod insanabile evasit: si enim ex magnitudine animi sui pientissimi sumere vires omnesque nervos contendere sategit; quod, heu!, nulla virtute humanarum virium mo-

dus superatur, corporis eius firmitas deficit.

Vice postrema quatuor abhinc mensibus eum vidimus, quum de *Alma* haec *Roma* cum eo proposita nostra communicavimus; atque si laudes, pro humilitate sua, adhortationesque ut in consilio persisteremus gestienti animo ab eo acceperimus, honoremque ultro oblatum ipsius nominis inter primorum patronorum referendi; viri tamen macie, vultus pallore languescentique oculo — acuto antea, quamquam placido semper — moestissime perculti sumus. Atqui paucos post dies in corrupti sanguinis morbum is delabitur, quo sensim confectus est! Quem quidem firme, tranquille, lucida sic mente sustinuit, ut ne nostri quidem operis suarumque pro eo promissionum, vel inter cruciatus, obli- visceretur; quum autem supremum diem iam adesse sentiret, Ecclesiae sacramen-tis publice refici voluerit, ac deinde, omni huius vitae sollicitudine abstrac-tus, in Deo totus permanere, donec tandem *a terra ad martyres* illos transi-ret, in quorum cultu strenue tuendo atque asserendo labores suos maxime insumpserat.

Ave, anima candidissima, in perpetuum ave ac vale!

F.

Suprema S. Congregatio S. Officii (*Sectio de Indulgentiis*).

Per decretum d. XXII mens. Ian. MCMXIV *indulgentiae et privilegia expositioni SS. Sacramenti adnexa* constituta sunt, dispensatis nonnullis conditionibus Clementinae, quam vocant, *Instructionis ad rem datae*.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

VITUS

(3)

*O dulcis coniux, o me felicior ipsa,
Quae nunc sola iaces gelido tumulata sepulcro;
Heu! non vidisti sacris obsistere natum:
Humanum puer iste tuus genus odit et horret.
Nil praeter maerere datur: quid denique restat?
In tenebris vacuaque domo sic vivere pergam?
Deficiam, neque me quisquam solabitur orbum?
O vitam miseram! Me siccine, Vite, relinquis?
Iam miserere domus, miserere meique tuique:
Tus impone focis. — Christus Deus optimus est mi. —
— Restat ut obscenam pecudem veneris acerrā?
Iam cole ture Deos, aut nostro de lare cede:
Nunc maledic Christo. — Benedico. — Furcifer, exi;
Iam legem nosti; magicā te voce projecto
Lusit saga potens, cui vermes ilia rumpant.
Patrem liquisti! — Deus est pater omnibus unus. —
— Effodiam tibi mox oculos: nunc dedecus a me
Hoc abigam. — Christum, fuerit quodcumque, fatebor. —
Ardet ad haec genitor rabie, furit, infremit, urget;
Arripuitque comam flavam natumque subegit:
Mox in contiguum foribus conclave reclusis
Traxit, et increpitans patientem compulit intro.
Ecce vocat puerum iudex: ferus usque minatur:
Neququam. Genitor graviter saevire parabat,
Cum subito Vitus patrio de litore cedit:
Custos et nutrix noctu comitantur euntem.
At profugos felix recipit Lucania tectis:
Suspicit hic Vitus tenero pia vota labello;
Hic demissus adest, miseros solatur et aegros.
Ac iam fama volat, dum vivit purus et insonis:
Interea furiis agitur Caesaris aegra (1)
Filia: mentis inops passim bacchatur in Urbe.
« LUCANUS VENIAT VITUS », crepat ore puella.
Ecce subit tandem Romana palatia Vitus:
Contigit insanam; subito furor ille recessit.
— Quomodo, (Caesar ait), pepulisti, Vite, furores? —
Cui Vitus: — Furias Christus Deus expulit ipse. —
Tum vero subita Princeps exaestuat irā,
Atque furens puerum tenebroso in carcere claudit,*

(1) Diocletiano imperatori, ut est apud rerum scriptores, Valeria filia fuit: at nulla masculina proles.

Dum parat omnino Christi delere sodales:
Ecce catervatim pueri innuptaeque puellae,
Et sancti patres et casto pectore matres
Intereunt: miseri ferro flammisque necantur,
Iactatique feris mediâ moriuntur arenâ:
Viscera dilacerant, turba clamante, leones.
Hic de infelici vepallidus arbore pendet
Affixus clavis: pice fumans uritur ille:
Pro Christo duris animas cruciatibus efflant.
Undique terra gemit, respondet flebilis Echo;
Undique nigrantes glomerantur in aethere corvi,
Dum levis exsultat miserorum sanguine Roma.
Iam cives celebrant multo convivia Baccho;
Urbs insana sitit circenses atque cruentem.
At vero stragem pia filia Caesaris horret;
Quin ardescit amans: manet imo corde reposta
Divini pueri species et gratia vivax:
Nec potuit mulier dubiis obsistere curis.
Vesper adest: fugit maerentia lumina caelo,
Purpureasque videt fluitare per aëra nubes:
Sanguine terra rubet; late trahit aethra ruborem.
Cauta sub obscurum noctis clam limina linquit,
Egrediturque silens, unâ comitata puellâ.
Festinat tacite, ricos plateasque pererrat;
Turpes devitat strepitus servosque procaces.
Interea caelum tonat et micat igne repente.
Corda timore micant, dum fulgor prodit euntes.
At resonat querulis ululatibus amphitheatum:
Vincla recusantum ferit aures ira leonum,
Qui deserta feri cupiunt lucosque silentes.
Sic pudibunda vias perlustrat femina Princeps,
Iamque venit rapido trepidans ad vincula cursu.
Alloquitur breviter custodem: lampade sumptâ,
Ille vigil ducit sinuosa per antra puellam.
Anxia tum mulier per inextricabile pergit
Curriculum latebrasque memor circumspicit atras.
Lenta per ambages graditur, quâ ducitur aegre
Halitus, et dirum spirat gravis aura venenum.
Quantus in his scrobibus languor! Mors incubat atra:
Hic miseri caveis imis mediisque sepulti
Christicolae lugent: lacrimarum depluit imber:
Dat gemitus ingens miserandaque turba dolentum.
Insignes pietate viri stant pectore firmo,
Gaudent aerumnis socioque dolore fruuntur.


(Ad proximum numerum)

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

Pontifex mortuus est!**Habemus Pontificem!**

PIUS X P. M.
vita functus d. XX mens. Augusti MCMXIV.



BENEDICTUS PP. XV
electus d. III mens. Septembribus MCMXIV.